



IN FESTO  
SANCTARUM VIRGINUM  
CONCIO PRIMA,

IN QUÆ LECTIO EVANGELICA  
explanatur: ubi etiam, quid prudentium, quid fa-  
tuarum virginum nomine significetur, paul-  
lo fufius exponitur.

*THE.* Simile est regnum celorum decem virginibus, quæ ac-  
cipientes lampades suas exierunt obviam sponso & sponsæ.  
Quinque autem ex his erant fatuæ, & quinque pruden-  
tes. Matth. XXV. 1. 2.

\*\*\* N hodierna sancti ev-  
\* I \* angeli lectioe infi-  
\* I \* gnis quadam para-  
\*\*\* bola decem virgi-  
num, quarum quinque fatuæ,  
quinque prudentes erant, a  
Domino proponitur. Ut autem,  
qua occasione illam proposue-  
rit, quidque in ea nobis signi-  
ficare voluerit, intelligatis,  
quid illam antecesserit, paucis  
indicabo. Egrediente Domino  
ex augustissimo illo Jerosoly-  
morum templo, discipuli, insi-  
gnes lapides & structuras illi  
ostendentes, dixerunt: (a) *ma-*  
*gister, vide quales lapide & stru-*

(a) Marc. 13. 1. 2. 4.

ctura! Quibus ipse respondit:  
*videtis hæc omnia? Amen dico*  
*vobis, non relinquetur hic lapis*  
*super lapidem, qui non destrua-*  
*tur.* Sedente autem eo super  
montem Oliveti, accesserunt ad  
eum discipuli secreto, dicentes:  
*dic nobis, quando hæc erunt? &*  
*quod signum adventus tui, &*  
*consummationis sæculi? Domi-*  
*nus ergo, discipulis morem ge-*  
*rere, & nos in illis erudiri vo-*  
*lens, utriusque rei, quæ ab il-*  
*lo exigebatur, signa, longa o-*  
*ratione simul explicuit. Signa*  
*autem Jerosolymitanæ vastatio-*  
*nis missa faciens, signa aliqua*  
con-

consummationis sæculi, extre-  
miquæ judicii, quæ multa &  
varia, maximeque horribilia  
sunt, exponens, hæc etiam ad-  
didit: (a) *erit tunc tribulatio*  
*magna, qualis non fuit ab initio*  
*mundi usque modo, nec fiet. Et*  
*nisi breviati fuissent dies illi,*  
*non salva esset omnis caro; sed*  
*propter electos breviabuntur. Et*  
*nox: (b) statim autem post tri-*  
*bulationem dierum illorum Sol*  
*obscurabitur, & Luna non da-*  
*bit lumen suum, & stellæ cadent*  
*de celo, & virtutes celorum*  
*commovebuntur; & tunc pare-*  
*bit signum filii hominis in celo,*  
*& tunc plangent omnes tribus*  
*terra, & videbunt filium homi-*  
*nis venientem in nubibus cali-*  
*cum virtute multa & majestate.*  
Hæc, & alia his non dissimilia  
Salvator commemoravit, qui-  
bus, quam sit dies illa formidan-  
da, exposuit. Quocirca humanæ  
salutis amator Dominus variis  
similitudinibus nos ad hunc  
diem, in quo de tota æternita-  
te sententia ferenda est, para-  
tos esse admonet. Ad hoc enim  
(c) parabolam inducit patrisfa-  
miliæ, supra domus suæ custo-  
diam vigilantis; itemque fide-  
lis servi, domini sui adventum  
præstolantis; & improbi etiam  
servi, hanc ipsam curam negli-

gentis. Ad hoc item parabolam  
adjecit domini peregre profi-  
ciscentis, & talenta servis suis,  
quibus negotiarentur, distri-  
buentis. Quæ omnia ad hunc fi-  
nem destinata sunt, ut, perspe-  
cta tanti hujus periculi magni-  
tudine, nos ad hunc adeo formi-  
dabilem diem omni studio &  
solicitudine præparemus, quom-  
salutis nostræ summa in eo po-  
sita sit, ne nos hæc dies impa-  
ratos deprehendat. Nec his pa-  
rabolis contentus, adjecit hanc  
etiam decem virginum, qua  
eamdem curam & vigilantiam  
nobis iterum commendat. No-  
verat enim is, qui simul & pa-  
ter & judex noster est, ejus  
diei magnitudinem & pericu-  
lum; ideoque paterna caritate  
ductus tot rationibus nobis id  
commendare voluit, unde to-  
ta æternitatis nostræ salus &  
vita pendeat. Hanc igitur ho-  
die parabolam, quæ magnis  
mysteriis referta est, explana-  
turi, cælestem opem, sacratis-  
simæ Virginis interventu, sup-  
pliciter imploremus.

AVE MARIA.

Celebris D. Dionysii senten-  
tia est, divinæ lucis radios, cor-  
porearum rerum velaminibus  
tectos ad nos permanere. Ea e-  
nim Dei, rerumque divinarum  
al-

(a) Matth. 24. 21. 22. (b) Ibid. v. 29. 30. (c) Matth. 24. 45. seqq.

altitudo atque sublimitas est, eaque rursus intellectus nostri, in hoc ergastulo carnis immersi, imbecillitas & obscuritas, ut nec Deum, nec divinas res, nisi corporearum rerum velaminibus tectas, percipere valeat. Hæ enim ut magis familiares, ita magis notæ nobis sunt: atque ita nos ad spiritualium rerum cognitionem, velut porrecta manu, ducunt & attollunt. Hac ergo de causa Salvator cælestis regni mysteria sub rerum corporearum similitudinibus turbis ad se confluentibus proponebat; quod in sacra hujus diei lectione facit. Sic enim ait:

*Simile est regnum calorum decem virginibus, quæ accipientes lampades suas exierunt obviam sponso & sponsæ. Regni calorum nomine cælestis magister non modo regnum ipsum calorum, in quod omnes tendimus, sed omnia etiam, quæ ad hoc regnum consequendum pertinent, designare solet. Hoc autem in loco cælestis regni nomine id intelligit, quod ad hoc regnum promerendum atque consequendum maxime necessarium est. Quid autem illud sit, in hujus parabolæ fine explicat, quum ait: *vigilate ergo, quia nescitis diem neque horam.* Hæc enim vigilantia, hæc*

pia cura & sollicitudo ea omnia suggerit atque ministrat, quæ ad hoc regnum capessendum requiruntur. Quam sit vero hæc vigilantia necessaria, proposito decem virginum exemplo commodissime declarat. Et quidem virginum nomine fideles omnes, sive probos, sive improbos, intelligit. Virgines autem appellantur, propter incorruptam fidei sinceritatem, quam christiani omnes profitentur. Infideles enim & hæretici in litteris sanctis adulteri & meretrices appellantur. Ex his autem virginibus quinque fatuæ, & quinque prudentes esse perhibentur. Quo significatur, inter ejusdem fidei professores, alios probos, alios improbos, alios lucis, alios tenebrarum filios esse: hoc est, alios qui juxta fidei suæ præscripta, alios qui juxta carnis & mundi leges vitam instituunt; e quibus illos quidem prudentes, hos vero Dominus fatuos appellat. Harum autem virginum prudentiam atque fatuitatem in eo positam esse docet, quod prudentes quidem virgines acceperunt oleum in vasis suis cum lampadibus: quod tamen fatuæ facere neglexerunt. Lampadis autem nomine, quæ tenebras discutit, lucemque ho-

hominibus præfert, fides intelligitur, quæ errorum tenebras dispellit, humanisque mentibus lucem præbet, viamque ostendit, qua homines recta in cælum tendere possint. Unde est illud ex Psalm. (a) *lucerna pedibus meis verbum tuum, & lumen semitis meis.* Et Salomon: (b) *mandatum, inquit, lucerna est, & lex lux, & via vita increpatio disciplina.* Olei vero nomine, quod his lampadibus infunditur, caritatis & misericordiæ, ceterarumque virtutum opera designantur; ad quæ nos fides ipsa dogmatibus suis inducit, quæque fidem ipsam perficiunt, roborant & illustrant. Hoc est igitur oleum, quod prudentes virgines sibi opportune providerunt, ne, quum sponsus adveniret, imparatæ invenirentur. Quam quidem curam fatuæ virgines habere noluerunt, quæ, fidei lampade contentæ, fidei opera sibi comparare neglexerunt.

*Moram autem faciente sponso, dormitaverunt omnes virgines, & dormierunt.* Hoc in loco, dormitionis nomine, mors; dormitationis vero nomine, morbus, qui mortem antecedit, intelligitur. Quamvis enim

Tom. III.

tota hæc parabola, & quæ illam antecesserunt & consequuntur, ad extremum judicii diem referantur; tamen extremus cujusque vitæ dies, judicii dies illi est. Nec enim in extremo judicio, quæ in hoc fuerit sententia lata, revocabitur. *Media autem nocte clamor factus est: ecce sponsus venit, exite obviam ei.* Quod ait, *media nocte*, hoc est, intempesta nocte, significare voluit, hunc diem sæpe insperatum atque improvifum plerisque hominum contingere. Qui enim nimio hujus vitæ amore flagrant, omnem mortis memoriam & commutationem ab animo suo repellunt. Non enim ad mentem id revocare volunt, quod sibi acerbum atque molestum futurum intelligunt. Hujus autem rei gratia Apostolus (c) diem Domini, furi comparat, qui eo tempore irreperere in alienas ædes solet, quo domini vel dormiunt, vel nihil tale suspicantur. Hinc Salomon ait: (d) *nescit homo finem suum, sed sicut pisces hamo, & aves laqueo, ita homines capiuntur tempore malo.* Frequentissime enim eo tempore mors irrepit, quo minus ventura cogitabatur. Pueri enim

Y

ado-

(a) Psalm. 118. 105. (b) Prov. 6. 23. (c) 1. Thessal. 5. 2. (d) Eccl. 9. 12.

adoleſcentiam, adoleſcentes ju-  
ventutem, juvenes ſenectutem,  
ſenes decrepitam etiam ætatem  
ſibi pollicentur.

A qua tamen ſpe depellere  
homines naturæ conditor vo-  
luit; ideoque in omnibus æta-  
tibus mortis aditum præbuit.  
Paſſim enim videre licet & in-  
fantēs, & pueros, & adoleſcen-  
tes, & juvenes, & ſenes in o-  
mnibus his ætatibus e vita de-  
cedere, ne quiſquam ætatis ſuæ  
tuto fidere audeat. Ea tamen  
hominum ſtultitia eſt, ut quum  
pauci admodum ſint, qui ad ca-  
nos, extremamque ſenectutem  
perveniant, ipſi tamen tacita  
quadam perſuaſione ſe ad illam  
perventuros pollicentur: quos  
tamen longe aliud cogitantes  
in medio curſu immatura mors  
abripit. Hinc de improbis in li-  
bro Job (a) ſcriptum eſt, quod  
ſubito moriantur: quia videli-  
cet eo tempore moriuntur, quo  
ii nihil minus quam mortem  
cogitabant. Hinc D. Gregorius:  
*neſciunt*, inquit, *mali mortalia*  
*mortaliter cogitare. Vita deſicit,*  
*& deſiderium creſcit; res habita*  
*corrumpitur, & habendi anxie-*  
*tas non finitur.* Hos autem me-  
rito D. Auguſtinus in Sermone  
arguit his verbis: *nonne caſus*

(a) Job 34.20. (b) Hieronym. in Epist. (c) Marc. 13.35. (d) Joan.  
5. 29.

*noſtros nobiſcum in hac carne*  
*portamus? Nonne fragiliores ſu-*  
*mus, quam ſi vitrei eſſemus?*  
*Vitrum enim eſi fragile eſt, ta-*  
*men ſervatum, diu durat: quod*  
*tamen homini non contingit.* De-  
nique, ut D. Hieronymus ait,  
(b) *quotidie morimur, quotidie*  
*commutamur: & tamen immor-*  
*tales nos eſſe credimus.* Hæc igitur  
fallax perſuaſio facit, ut læ-  
piſſime nos improvifa mors ad-  
oriatur. Quam rem ſignificare  
Dominus voluit, quum (c) me-  
dia, hoc eſt, intempeſta nocte  
ſponſum adventare dicit. Se-  
quitur deinde:

*Tunc surrexerunt omnes vir-*  
*gines illæ, & ornaverunt lam-*  
*pades ſuas: hoc eſt, fideles o-*  
*mnēs, ſive probi, ſive impro-*  
*bi, imminente mortis atque ra-*  
*tionis reddendæ periculo, præ-*  
*parari incipiunt, ut venien-*  
*ti ſponſo decenter occurrant.*  
Tunc lampades ſuas ornare in-  
cipiunt: hoc eſt, fidei, quam  
habent, bonorum operum o-  
leum adjungere. Quum enim fi-  
des illos extremi hujus periculi  
admoneat; quum videant, ſe  
protinus æquiſſimo iudicio exa-  
minandos; quum eadem fides  
doceat, (d) eos, qui bona ege-  
runt, ituros in vitam æternam;  
qui

qui vero mala, in ignem æter-  
num: hæc firma fides impro-  
bos etiam & proſtigatos homi-  
nes eo tempore vehementer ur-  
get, dum quattuor illa novif-  
ſima eis ob oculos ponit; hoc  
eſt, mortem, iudicium, ge-  
hennam, atque cæleſtem glo-  
riam. Quid autem, ut D. Ber-  
nardus ait, *horribilius morte?*  
*quid terribilius iudicio? quid in-*  
*tolerabilius gehenna? quid jacun-*  
*dus gloria?* Hæc igitur quat-  
tuor ſe ſe fluctuanti menti offe-  
runt, quorum novifſimum ti-  
met ne amittat; illa vero, ne  
in ea impœnitens incurrat.

Quæ autem ſe ſe miſeris eo  
tempore offerant, qualesque in  
eorum animis verſentur cogita-  
tiones, Eusebius Emiſſenus de-  
clarat his verbis: (a) „ cogite-  
„ mus, qui luſtus erit negligenti  
„ animæ ex hoc corpore de-  
„ cedenti; quæ anguſtiæ, quæ  
„ caligo, quæ tenebræ, quum ex  
„ illo adverſariorum numero  
„ prima occurrere cœperit con-  
„ ſcientia, diverſis circumje-  
„ cta criminibus. Ipſa enim re-  
„ motis omnibus probationi-  
„ bus, ipſa ingerenda eſt ocu-  
„ lis noſtris, ut nos & convin-  
„ cat probatio, & confundat  
„ agnitio. Non ulli licebit vel  
„ celare aliquid, vel negare,

„ ubi non de longe & aliunde,  
„ ſed de intus proceſſurus eſt  
„ accuſator & teſtis. Idemque  
„ paullo ante hæc verba: *eo-*  
„ *ce*, inquit, *transferunt illa*  
„ *omnia tamquam umbra, ab-*  
„ *ierunt oblectamenta, & ſola*  
„ *in perpetuum opprobria &*  
„ *crimina remanſerunt.* Quid  
„ ergo erit, quum rebus hu-  
„ manis vale ultimum dicens,  
„ mortem ante ſe habens, &  
„ vitam poſt ſe relinquens, in  
„ illud horrendum pertrahetur  
„ profundum? Quia enim ibi  
„ nulla erit jam parandi victus  
„ aut veſtitus ſollicitudo; nul-  
„ la laborandi, militandi, a-  
„ gendive occupatio; nulla fa-  
„ cultatis aut honoris ambi-  
„ tio: ſolus mentem omnibus  
„ aliis curis vacuam intoleran-  
„ dus reddendæ rationis terror  
„ implebit; ſolum atque totum  
„ iudicii pondus captivis ſenſi-  
„ bus imminebit. „ Hactenus  
Emiſſenus. Hic autem timor, ut  
D. Gregorius ait, tanto in mor-  
te fit acrior, quanto retribu-  
tio viciniuſ formidatur. Inve-  
niet enim homo poſt puſillum,  
quod in æternum vitare non  
poterit. Hoc igitur metu corre-  
pti homines, præteritæ vitæ  
maculas poenitentia diluere, &  
priſtinos mores corrigere pa-  
rant,

(a) Euseb. Emiff. bomil. ad Monachos.

rant, & a Domino tum commissorum veniam, tum diuturnioris vitæ spatia postulant. Unde in vitis sanctorum legimus, quemdam in agone mortis constitutum, metuque divini iudicii perterritum, magna voce clamare cœpisse: inducias usque mane, inducias usque mane.

Deinde etiam ad piorum hominum suffragia se convertunt, eorum se precibus, meritis, & sacrificiis commendantes, ut pro se apud supernum iudicem intercedant, & has ab illo inducias postulent. Hoc est enim, quod significat illa fatuarum virginum ad prudentes deprecatio: *date nobis de oleo vestro: quia lampades nostræ extinguuntur*: hoc est, meritis & precibus vestris inopiæ nostræ consulite, & has nobis a Domino inducias longioris vitæ postulate. Hinc legimus (a) monachum quemdam juniorem post admissum crimen acerbe lamentantem, ad quosdam monachos, qui ad magnum illum Antonium proficiscebantur, dixisse: *orate senem, ut saltem decem dierum inducias mihi ad pœnitendum impetret*. Qui tamen quinto post die vita functus est.

(a) Joan. Climac.

Ceterum ad hæc prudentes virgines: *ne forte*, inquit, *non sufficiat nobis & vobis, ite potius ad vendentes, & emite vobis*. Quæ quidem verba nequaquam sigillatim excutienda sunt. Est enim illa D. Hieronymi regula ad scripturarum intelligentiam diligenter adnotanda: *prudentem, inquit, semper admonéo lectorem, ut non superstitiosis acquiescat interpretationibus, & quæ commatice pro fingentium dicuntur arbitrio: sed consideret priora, & media, & sequentia, & necat sibi univversa, quæ scripta sunt*. Hactenus verba Hieronymi. His igitur verbis, quid prudentes virgines fatuis consulant, designatur: nempe, ut ad vendentes, id est, ad ecclesiæ ministros confugiant: quibus dispensandi olei divinæ gratiæ cura commissa est, quibus cælestis regni claves traditæ sunt, qui sacramentorum medicamenta ministrant, qui commissorum veniam vere pœnitentibus tribuunt. Ad hos ergo pergite, & veræ pœnitentiæ atque caritatis, ut ita dixerim, pretio hoc vobis oleum comparate. *Dum autem irent emere, venit sponsus: & quæ parata erant, intraverunt cum eo ad nuptias,*

*& clausa est janua*. Clausa janua periculum designat extremæ pœnitentiæ. Ut enim D. Augustinus ait, *hac animadversione percutitur peccator, ut moriens obliviscatur sui, qui, dum viveret, oblitus est creatoris sui*. Cui quidem tententiæ illa quoque ejusdem Augustini cohæret: *quum vult, inquit, improbus homo, non potest; quia quando potuit, noluit: ideo per malum velle, perdidit bonum posse*. Hoc ipsum autem confirmat, quod protinus subditur: *novissime vero veniunt & reliquæ virgines, dicentes: Domine, Domine, aperi nobis*. Quibus tamen responsum est: *amen dico vobis, nescio vos*. Qua quidem responsione non obscure hujus pœnitentiæ periculum declaratur. Hinc D. Hieronymus, illa Jeremiæ verba explanans, (a) *in tempore afflictionis suæ dicent, surge, & libera nos; sic ait: impudens postulatio, tempore necessitatis & angustia ab eo querere auxilium, quem in prosperitate contempseris*. Hinc etiam D. Augustinus: *rogare morientes, non delicti pœnitentia, sed mortis urgentis admonitio compellit: nec dignus est, in morte accipere solatia, qui se non cogitavit moriturum*. Unde Tom. III.

(a) Jerem. 2. 27.

idem, *non facile, inquit, inveniuntur in adversitate præsidia, quæ non fuerunt in pace quæsitæ*. Merito ergo Dominus totius hujus parabolæ scopum hac una sententia claudit: *vigilate ergo, quia nescitis diem neque horam*. Quam etiam in hujus concionis fine breviter explanabimus.

§. I.

Diximus, si meministis, fratres, Dominum in hac sacra lectione, prudentium ac fatuarum virginum nomine, probos & improbos homines, qui fidem tamen rectam habeant, significare voluisse. Quærendum autem modo est, cur his eos nominibus appellare voluerit. Neque enim summa illa Patris sapientia frustra his nominibus usa est. Hoc est igitur quod in reliqua concionis hujus parte sollicitè a nobis indagandum est. Quum autem hujus parabolæ scopum in fine Dominus proposuerit, quum dixit: *vigilate ergo, quia nescitis diem neque horam*; ex hac vel cura, vel negligentia vigilandi, prudentia & fatuitas ista dijudicanda est. Excutiamus igitur, quæ sint prudentis, quæ fatui hominis officia.

Primum igitur prudentis

Y 3

ho-